

* * *

A D
 VIRVM DOCTISSIMVM
 BERNH. FRID. RVDOLPH. LAVHNIUM CET.
 OPTIMI PATRIS OBITVM LVGENTEM
 CARMEN CONSOLATORIVM
 SCRIPTVM
 A CHRISTIANO GOTHARDO BIEDERMAN,
 PRAEF. ZWAETZ.

Quid fles defunctum patrem, doctissime LAVHNI,
 Quid luges cum fratre sepultum?
 Corpus huono tradunt, in partes soluitur illud,
 In terram cineremque redibit.
 Sed mox grata venit, quum non sperabitur, hora,
 Qua fortis manus Omnipotentis
 Istud restituet nitidum de pulvere terrae,
 Quando dies diluxerit ille
 Supremus mundi, quo cunctos Numinis almi
 Virtus in vitam reuocabit.
 Adde, senem circumueniunt incommoda multa,
 Mille modis tentatur acutis
 Morbis, nunc alget, misere nunc febribus ardet.
 Infomnis noctes agit atras
 Confectus senio, pressus multoque dolore
 Quemque diem confumit acerbe.
 Cetera de genere hoc adeo sunt multa, potentem
 Delassare queunt Atlantem.
 Maturare valent haec mortem, sensibus imis
 Haec ponas, moestissime LAVHNI.
 Ter viginti annos, bis quinque, ac quattuor iste
 Vixit, decessit grauis annis.
 His adiunge dies laetos, fortuna benigna
 Quos multos concesserat ipsi.
 Felix iste fuit, quo non felicior alter.
 Coniugium perpende beatum.
 Delicias multas, multos expendito honores,
 Quos ipsi Vos sanguine eodem
 Coniuncti fratres vestra virtute parastis,
 Qua multis excellitis orbe.
 Quae si perpendis, capias solamina magna,
 Quae mulcent tua corda, necesse est.

Deline